DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ASCITE.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ASCITE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES JENKIN MACLEAN,

Canadensis,

REGIARUM SOCIETATUM MEDICAE ET PHYSICAE EDINBURGI SOCIUS.

"Hydrops non tam ipse morbus est quam morbi alicujus signum, et plerumque capitalis, ideoque saepissimè fit mortis praenuncius."

HEBERBEN.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT JACOBUS PILLANS ET FILIUS.

M.DCCC.XXVI.

PATRUO

CARISSIMO SUO,

LACHLAN MACLEAN, EQUITI AURATO,

MEDICINAE DOCTORI,

&c. &c. &c.

VIRO

PIETATE, ANIMI DOTIBUS,

VIRTUTIBUSQUE SUMMIS,

PARITER PRAECLARO,

DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM,

D. D. C. QUE

FRATRIS EJUS

FILIUS.

PATRUO

CARISSIMO SUO,

LACHLAN MACLEAN, EQUITI AURATO,

ET

MEDICINAE DOCTORI,

&c. &c. &c.

VIRO,

EGREGIIS ANIMI DOTIBUS,

VIRTUTIBUSQUE SUMMIS,

PARITER PRAECLARO;

DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM,

D. D. C. QUE

FRATRIS EJUS

FILIUS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ASCITE.

AUCTORE JOANNE J. MACLEAN.

CAPUT I.

DE HISTORIA MORBI MEDICA.

Ascites effusio est morbida, vel praeter naturam fluidi in cavum abdominis, vel saccum peritonaei. Secundum Nosologiam Methodicam celeberrimi Culleni ad classem Cachexiarum, et ordinem Intumescentiarum,

pertinet; in duas species nempe Ascitem abdominalem et saccatum dividitur *.

Nulla aetas vel sexus ab hoc morbo immunis est, sed sexum masculinum potius quam foeminum, illosque praecipuè qui intemperantiae perpetuae, et consuetudini debilitanti diu fuerunt dediti, adoritur. Paulatim serpit, et per longum tempus homine inscio existat, adeo ut medicus eheu haud raro nimis sero arcessitur. In opinionem Asciten saepe esse haereditarium plerique ineunt. Spatium temporis per quod perstat, minime certum est. Curriculum enim suum interdum cito, alias, non nisi post aliquot annos elapsos, persolvit. Ascites in Batavia aliisque regionibus humidis, et partibus qui-

* Sic definitur, " Abdominis intumescentia tensa, vix elastica, sed fluctuosa."

busdam Galliae et Hispaniae maximè saevit; et tempore hiemali, potius quam vernali vel aestivo, grassatur. Curatio hujus morbi magis praecipuè cum ipse sit diuturnus, et viscera ut saepe accidit vitiis implicita plerumque est incerta. Species saccatus, quippe cujus diagnosis sit difficillima, maximè est metuenda. Summa cura et solertia revera opus est ut num fluidum in cavo abdominis aut sacco peritonaei situm est pro certo constet. Copia fluidi aquosi plerumque effusi ex octariis viginti quinque, ad triginta variat; et quantitas maxima interdum tollitur; exempla quoque plurima quibus congiarii multi inter paracentesin abdominis perficiendam, ex aegris fuerunt detracti produntur *. Uri-

* Partes constituentes chemicae fluidi effusi constant ex

Aqua,	Phosphate Sodae, et
Gelatina,	Hydrogenio Sulphuretto.
Muco,	

nae quoque hydropicorum aliquid albuminis, quod calore et acidis cogi potest inesse, est notandum *.

---

* *Vide* Dr. Blackall's excellent "Observations on the "Nature and Cure of Dropsies, and particularly on the "presence of the Coagulable part of the Blood in Drop-"sical Urine." London, 1824.

CAPUT II.

DE CAUSIS ASCITIS.

Causae praedisponentes.—Hae sunt, debilitas utcunque inducta, temperamentum leucophlegmaticum, post morbos acutos, ut scarlatinam, variolam, convalescentia.

Causae Excitantes.—Hae sunt, exhalatio aucta vel absorptio diminuta fluidorum serosorum in cavo abdominis. Frigus subitô admotum, inflammatio chronica membranae abdomen obducentis, evacuationes profusae, diaeta aquosa, victus tenuis et haud nutriens, habitus debilitantes, ut inebrietas, affectus animi deprimentes, ut luctus, melancholia,

menstrua suppressa, exinanitiones ulcerosae, setacea, coelum humidum, vitia organica viscerum, ut cor aut vasa ejus in os conversa, polypi, schirrus vel induratio jecoris, lienis, &c. laesiones externae, ut ictus, luxationes, &c.

CAPUT III.

DE INDICIIS ASCITIS.

Ascites signis sequentibus detegi potest, abdominis intumescentia, vix elastica, cum dolore leni sub pressu, et fluctuante; anorexia, sitis haud toleranda, urina parca et ruberrima, alvus adstricta, omnes secretiones insigniter imminuti, respiratio difficilis, fluido congesto septum transversum premente; urina calore et acidis coagulabilis. Morbo progrediente, tumor in hypogastrio percipitur, distensio et sensus gravitatis, pulsus nunc celer, nunc praeter naturam tardus et mollis. Asciti febris interdum adest, sed hoc signum non perpetuum existit.

CAPUT IV.

DE DIAGNOSI ASCITIS.

Difficultatem summam inter sententiam de Diagnosi Ascitis constituendam, e solertia qua opus est, ad conditionem accuratam effusionis cognoscendum oriri, inter plerosque convenit *. Indicia sunt tamen nonnulla, quae diagnosin statuentibus nobis auxilio utili sunt. Quae a Culleno praeclaro tradita sunt, omnibus hactenus medicis prolatis, fortasse longe praestant.

Si aliquid signum sit hydropis in aliis partibus, vel suspicio diathesis hydropi-

---

* Id est, num fluidum in cavum abdominis vel saccum peritonaei effusum est.

cae, si abdominis tensio sit generalis et aequalis, fluidum in cavum abdominis effusum esse, summo jure suspicari potest. Sed, si contra, nulla causa sit credendi diathesin hydropicam adesse, et si tumor et tensio abdominis non fuerint aequales, Asciten saccatum existere procul dubio existimetur. Tympanites et pregnantia affectiones solae sunt quicum Ascites confundi potest; ex illo flatu et doloribus colicis absentibus, atque abdomine minus resiliente, sonoque hoc percusso edito Ascites diagnosci potest. In tympanite enim abdomen digitis percussum, eundem sonum ac vesica aëre distentâ similiter percussa emittit. Sed hic sonus, abdomine digitis percusso, in Ascite non exauditur. Fluctuatione et aspectu leucophlegmatico generali aegri Ascites potest dignosci. Ex pregnantia, abdomine minus resiliente, fluctuatione et urina parca secreta, cognoscitur.

CAPUT V.

DE PROGNOSI.

Cum urina parum imminuta est, et copia ejus augescit, cum parum adest debilitas, cum spiritus facile trahitur, cum tensio et tumor abdominis cedunt, fluctuatio minus evidens, et aeger juvenis, et nihil affectionis localis adest, prognosin faustam praedicere licet; sed, si contra adsunt marcor insignis, febris, viscera vitio correpta, dolor ingens sub pressu, respiratio difficillima, morbus diuturnus, debilitas summa, cutis sicca, si morbus liquorum spirituosorum abusû maximo inductus fuerit, et valetudo multum quassata, prognosis infaustissima est pronuncianda, et ne morbus fiat lethalis, est metuendum.

CAPUT VI.

DE RATIONE MEDENDI.

Curationis indicationes sunt,

1*mo*, Fluidum effusum evacuare,

2*do*, Prohibere ne idem iterum congeratur.

Ad haec consilia implenda, fere omnis classis Materiae Medicae usurpata est. Medicamenta quae plerumque in usum veniunt, diuretica sunt, emetica, cathartica, sudorifica, diaphoretica, et tonica, alios modos ad quos saepe confugitum est, frictio, fomenta, balneum calidum, et vaporarium, sanguinis missio, et scintilla electrica, constituunt.

Diuretica omnibus caeteris fortasse praestant. Humorem effusum celerrime auferunt, actio eorum est mitis, et nullum regimen diaetae peculiare postulant. Medicamentorum hujusmodi etiam validissimis, satis virium ad morbum superandum raro inest. Utpote levamen tantum praebere valentia sunt existimanda: Omnia sua vice in usum venerunt, et singulis fuerunt sui fautores. Sales viribus diureticis efficacissimis forsitan valent. Solutio eorum facilis, celeritas qua renes stimulant, et absorptio cita, rationes sunt verisimillimae quibus effectum suum exoptatum praebent.

Scilla Maritima utpote medicamentum optimum et vetustissimum diureticum habetur, et vires ejus in sanando Asciten sub forma decocti Celsus multum lauda-

vit *. Modi quibus nunc exhibetur sunt sequentes :

In pulvere sicco,	In pilulis,
In tinctura,	In conserva,
In aceto,	In melle.

Et pro auxilio aestimando aliorum diureticorum, ut *spiritus aetheris nitrosus*. *Tinctura scillae* modus est utilissimus scillam exhibendi, quippe quae nauseam ut quaedam ex aliis praeparationibus haud adeo sit inferre. In copia guttarum viginti ad quadraginta pro dose plerumque exhibetur. *Scilla maritima* in dosibus partitis consilio nauseae quam aliter induceret semper est sumenda, vel cum aromaticis eadam causa est commiscenda,

* "Utiliter etiam Scilla cocta delingitur."—Celsus de Medicina, Lib. III. p. 108.

cum *submuriate hydrargyri* conjuncta, remedium utile est, et frequenter magno adhibetur effectu.

Diureticum alterum quod multum fuit usurpatum, est *digitalis purpurea:* Quocunque modo hoc medicamentum exhibetur, idem nauseam et vomitum inducit, inter hoc igitur administrandum solertia opus est. Genus sanguiferum et organa urinae inservientia validissimè afficit; sed effectus ejus in intestina non possunt percipi. In dosibus parvis, et paulatim auctus, secretionem urinae promovet. Pulsus diu post digitalim purpuream sumptam, saepe tardus perstat *. Quoniam dosis parcior bis, ac copiosior semel ex-

---

* Professori Home exemplum olim obvenit, quâ pulsus ex ictibus septuaginta duabus, ad triginta octo minuto horae descendit, et sic diu perstitit.

hibita, affectus pares, praebuit inter hoc medicamentum exhibendum haud parum solertiae et curae a Medico est exercendum: Systemate igitur sub vi *digitalis purpurea* laborare reperta, haec ne diutius usurpari debet. De hoc medicamento controversiae plurimae extiterunt; aliis medicis virtutes ejus utpote ancipitem, et etiam periculosam vituperantibus; aliis, usum ejus summis laudibus efferentibus. Opinionem sequentem auctoris * experientiae summae, et famae probe stabilitae, proferendo notionem accuratam aestimationis et virium digitalis offeram.

"Digitalis," inquit, "aliquem morbum

---

* Vide Dr (now Sir L.) Maclean's work, entitled, "An Inquiry into the Nature, Causes, and Cure of Hydrothorax," page 273. Edition 1810.

" sine quodam alio medicamento auxiliante
" vix sanabit. Quamvis aquam in hydrope
" emittat, ne eadem iterum accumuletur aliis
" remediis plerumque opus erit."

Omnium praeparationum hujus plantae, pulvis optima est, ad nauseam enim excitandum non adeo est proclivis quod a medico magnum est desideratum. Haud raro enim accidit, quod aegri mortem usui hujus medicamenti perpetuo praeferant. Tinctura modum idoneum constituit quo exhibeatur, quippe quae minus sit proclivis corrumpi. Auctor supra dictus, experientia longa fretus, tincturam foliorum recentum digitalis anteponit *. Infusa et decocta tempore de-

---

* ℞ Folior. Digit. purp. recent. ℥ iv.
Spir. Rectif. - f. ℥ v.
Digere per dies septem leni calore, dein cola.

biliora fieri sunt proclivia, nauseamque excitant. *Digitalis purpurea* cum aromaticis, *tinctura opii*, *hydrargyro*, *supertartrate potassae*, *oleo juniperi*, et caeteris conjuncta, saepius exhibetur. Si diarrhoeam, ut saepe fit, cieat, cum opio utiliter sumatur. Cum hoc medicamen genus vasculosum magnoperè hebetaverit, stimulantia acria, ut alcohol, vel liquor cui nomen est Anglice "Gin," in dosibus repetitis exhibita multum laudantur. Seminibus aequè ac foliis digitalis singulis fuerunt fautores. Utra sunt praeferenda ab experientia propria non loqui possum; sed satis sit dicere, quod plerumque convenit, oportere digitalim maturitatem summam attegisse priusquam pro usu carperetur.

Nicotiana tabacum pro diuretico in Ascite interdum in usum venit; sed nauseam ante

effectus ejus diureticos praebitos, tam saepe excitat, ut rarius nunc usurpatur. *Colchicum autumnale* quoque suos habuit fautores, sed effectus ejus diuretici ut videretur, valde sunt incerti. *Cantharis vesicatoria* remedium est vetustum, sed vesicam tam subito et molestè afficit, ut minime pro medicamine est laudanda. Siquando praescribitur, sub forma pulveris tenuis usurpari debet.

Classis EMETICORUM in Ascite in usum venit, haec, actionem absorbentium augendo quod secretione aucta urinae post eadem sumpta probatur agunt. Siquando impetus ad quodvis organum vel partem aut caput vel jecur adest, igitur sunt repudianda ; si symptomata non cito levantur, morbum ut fertur, augent, quia corpus solvunt. *Ipecacuanha*, et *tartras antimonii*, emetica sunt saepissime usurpata. A quibusdam medicis

laudibus summis efferuntur, sed votis non semper respondent.

CATHARTICA praecipue indicantur, stimulando absorbentia intestinorum, absorptione humoris sic effecta pollent. Haec sunt *jalapa*, *scammonia*, *gambogia*, *supertartras potassae*, *colocynthis*, *aquae minerales salinae*, *submurias hydrargyri*, *sulphas magnesiae*, aliaque cathartica salina, si effectus non cito praebent, absorbentur, et vim diureticam edunt.

SUDORIFICA et DIAPHORETICA in multa aestimatione habentur. Sed cutis hydropicorum plerumque est adeo pertinaciter sicca, ut medicamenta validissima hujus classis saepe nihil prosunt. Ad effectus eorum promovendos, balneum calidum et vaporarium atque exercitatio magnopere inserviunt. Quia huic

morbo debilitas saepissime adest, tonica, ut *cinchona*, *praeparationes ferri*, &c. igitur indicantur.

Submurias hydrargyri medicamentum est quod frequentissime fuit usurpatum, et cum multo successû, plerumque cum aliis remediis conjunctum est, sed frequentissime cum scilla maritima et digitale purpurea ; verisimile, usui esse possit in viscerum obstructionibus praecipue hepatis. Tamen, non oportet donec ad salivam ciendam hydrargyrum adhibere, quia gingivae cum summa molestia afficiuntur. Et auctor experientiae observat, ut nunquam vidit salivationem ipsam morbum curare, sed multò acerbare.

Auctor hic quoque conjunctionem scillae, submuriatis hydrargyri, et digitalis non congruentem censet. Quia digitalis actionem

cordis arteriarumque valdè reprimit et infirmat, dum submurias hydrargyri, si effectus ejus non citò desinat, febrem excitat, pulsumque levat *.

Frictio cum quibusdam substantiis stimulantibus, et fomenta saepe profuisse reperta sunt. Harum, *oleum Teribenthinae, oleum camphoratum*, et *oleum ammoniatum*, utpote vi magna actionem absorbentium promovendi pollentia utilissima existunt.

Stimulantia multo validiora a veteribus fuerunt usurpata. Celsus de Ascite loquens, ut ferramenta calida abdomini applicentur praecipit, Medici tamen recentiores me judice, remediis mitioribus pari

---

Vide Blackall's "Observations on the Nature and Cure of Dropsies," p. 340.

cum commodo utuntur. Idem auctor ut fomenta calida et sicca consilio absorptionem promovendi applicentur suadet *. Venaesectio remedium fuit cui BOERHAAVIUS praeclarus favebat. De utilitate hujus nihilominus inter nonnullos medicos hodiernos non constat. Operationem diureticorum ad juvare fertur, et ut haec perficiatur, cum multum albuminis urinae inest; quidam monent cum impetus ad caput, pulmones, &c. adest, sine dubio indicatur, et Dyspnoeae auxilio fere est praesenti.

Remedium ultimum quod memorabo, est ELECTRICITAS, sed quia modus quo hic stimulus admovetur, omnibus innotescit, de illo non opus est plus dicere.

---

* Vide CELSUS de Medicina, Lib. III. p. 108.

Omnibus remediis supra dictis frustra usurpatis, et tanta copia humoris congesta, ut fere nullam spem curationis per quamvis aliam rationem praebeat, ad operationem *paracentesis abdominis* confugere oportet. De hac operatione utpote simplice et a chirurgo perficienda, non mihi libet loqui.

CAPUT VII.

DE DIAETA ET REGIMINE.

In Ascite victus debet esse lenis et facilis concoctû, mitis et nutriens. Caro animalium non nimis assa vel elixa, sed modicè cocta, sumenda est. Carnes salitae, vel fumo indurατae, utpote difficilimae concoctu, et etiam omnia oleaginosa, ut butyrum, oleum, &c. evitandae sunt.

Potus tenuis, et non in nimia quantitate hauriri debet, et latices stimulantes omnigeni, praecipue quibus alcohol inest prohibendi. Cerevisia Londinensis vulgo *Porter* dicta, gase acido carbonico ejus quod ventriculum distendere et concoctioni obesse queat, privata copia modica permitti potest.

Vinum Rhenum, quia continet multum super-tartratis potassae, qui, ut supra dictum est sub classe diureticorum, renes valdè stimulat, antepositum est. Ut aqua largis haustibus in Ascite sumatur ad secretionem urinae promovendum, quidam medici praeciperunt, sed hoc remedium utpote anceps potius existimo.

Aer calidus et siccus, quia corpus roborare et firmare, halitum cutaneum promovere, et concoctionem adjuvare multum valet, hydropicis convenit. Coelum frigidum et humidum, utpote causa valida excitans morbi, sedulo evitandum est.

Vestitus aegri quoque attentionem sibi vindicat ; hic corpus a vicissitudinibus coeli bene defendere debet. Indusium laneum igitur quod corpus ex talibus mutationibus tegit, et perspirationem promovet, utile est.

CAPUT VIII.

DE SECTIONE CADAVERUM.

Vitia organica viscerum, cavo abdominis patefacto conspiciuntur. Haec scirrhus vel induratio hepatis, glandularum lymphaticarum vel lienis ; interdum ossificatio cordis, aut magnorum vasorum, polypi, adhaesiones, &c. Humor emissus plerumque est colore fusco, sed aliquando albo, flavo, et (quamvis raro) cacao simili. Cum scirrhus hepatis morbo primario adest, fluidum est subflavum aut subviride, et hoc ut fertur, bile cum illo mista oritur. Talia sunt igitur quae cadaveribus hydropicorum perscrutatis saepissime conspiciuntur.

FINIS.

EXCUDEBANT JACOBUS PILLANS ET FILIUS.